



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Corpus Juris Canonici**

**Gregor <XIII., Papst>**

**Coloniae Munatianæ, 1665**

4 Vestibus hic claris inhietur clericus uti.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62915)

crificiis deservire, & precibus atque orationibus vacare debeant. Scriptum est enim: [\*Nemo militans Deo obligat se negotiis a secularibus, ut possit placere ei, qui se probavit.] & infra. ¶ Quod Episcopi & antecessores nostri religiose considerantes, salubriter providentes censuerunt, ne quis frater excedens, ad tutelam vel curam clericum nominaret: ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione ejus celebraretur. Neque enim apud altare Dei meretur nominari in sacerdotum prece, qui ab altari sacerdotes & ministros voluit avocare.

C. V. ¶ Non licet clericis mollitiis & secularibus rebus obligari.

Item ex eadem.

Mollitiis i, & a laqueis secularibus obligari non debent, qui divinis rebus, & spiritualibus occupati, ab ecclesia recedere, & ad terrenos & seculares actus vacare non possunt.

¶ Mollitiis] Vera lectio est, molestiis. Sed quia est mutatum capitis, non est mutatum: alia autem nonnulla & in antecedenti capite emendata sunt.

C. VI. ¶ Sacularibus negotiis clericis non alligentur.

Item ex eadem.

Hic, qui in ecclesia Domini ad f ordinationem clericam i promoventur, in nullo administratione divina avocentur, nec molestiis & negotiis secularibus alligentur 2: sed in honore sportulantium fratrum, tanquam decimas ex fructibus accipientes, ab altari & sacrificiis non recedant, sed die ac nocte celestibus rebus, & spiritualibus serviant.

¶ Clericam] Restituta est vera lectio Cypriani, quam manuscripti vetustissimi codices retinent. Et lib. 2. epist. 1. bis, & l. 3. epist. 21. prope finem, in omnibus Cypriani codicibus legitur, ordinatio clerica, & epistola clerica.

¶ Alligentur] Emendatus & locupletatus est hic locus ex Originali impresso & manuscripto.

C. VII. ¶ De eodem.

Item, ut supra Cyprianus ibidem.

Sacerdotium g decretum religiose & necessarie factum servetur a nobis, simul & ceteris fratribus detur exemplum, ne quis sacerdotes & ministros Dei, altari ejus, & ecclesie vacantes, ad seculares molestias devocet. Observari enim de cetero poterit, ne ultra hoc fiat circa personam clericorum, si quod nunc factum est, fuerit vindicatum.

QUESTIO IV.

Quod vero fulgidis & claris vestibus eum ornari non liceat, in septima synodo jubetur: in qua sic statutum est, cap. 10.

C. I. ¶ Corripiantur clerici, qui unguentis, & claris vestibus, & fulgidis lasciviant.

Omnis h jactantia & ornatura corporalis a sacramento ordine aliena est. Eos ergo Episcopos, vel clericos, qui se fulgidis & claris vestibus ornant, emendari oportet. Quod si in hoc permanserint, epitimio tradantur. Similiter & eos, qui unguentis inunguntur. ¶ Quoniam vero radice amaritudinis exorta contaminatio facta est in ecclesia catholica, Christianos calumniantium hæresis i, & hi, qui hanc receperunt, non solum imaginarias i picturas abominati sunt, sed etiam omnem reverentiam repulerunt, eos, qui religiose ac pie vivunt, offendentes (ac per hoc completur in eis, quod scriptum est, k [Abominatio est peccatori Dei cultus.]) Igitur,

\* 2. Tim. 2. a al. molestiis, b al. cau, c Dist. 81. d Ivo p. 6. c. 394. e Ivo p. 6. c. 391. f al. ordinatione cler. i. g al. Sacerdotum.] vera lectio Ivo p. 6. c. 396. h Anst. l. 6. c. 191. Ivo p. 5. ca. 133. i al. imaginum, k Eccl. 1.

si inventi fuerint deridentes eos, qui vilibus & religiosis vestibus amicti sunt, per epitimum corrigantur. ¶ A pificis enim usque temporibus omnis sacratu vir cum mediocri & vili a veste conversabatur. Omne quippe, quod non propter necessitatem suam sed propter venustatem accipitur, elationis habet calumniam, quemadmodum magnus alt Basiliius b. Sed neque ex sericis texturis vestem quis variatam induebat, neque apponebat variorum colorum ornamenta in summitate & vestimentorum. Audierant enim ex Deifona lingua, quia [Qui a mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt.]

¶ Hæresis] Cum antea legeretur, hæreticorum, sic est emendatum ex Anastasio, & Ivone, & respondet Graca vobis, dicitur; arg. ex isidoro nonnulla alia sunt restituta.

C. II. ¶ Clerici siue in itinere ambulantes, siue alibi degentes, congruis sibi vestibus utantur.

Item ex synodo sexta, cap. 27.

N ullus eorum, qui connumerantur in clero, vestimentum indecens habeat, siue in civitate degens, siue in itinere ambulans, sed stolis utatur, quæ concessæ sunt clericis. Si vero quis tale quid fecerit, per unam hebdomadam suspendatur e.

C. III. ¶ Non secularibus vestibus, sed ordinis suo convenientibus clericis utantur.

Item Zacharias Papa in synodo Romana, cap. 3.

Episcopi, Presbyteri, Diaconi, secularibus indumentis non utantur, nisi, ut condecet, tunica sacerdotali: sed neque dum ambulaverint in civitate, aut in via, aut in plateis, sine operimento præsumant ambulare, præter si in itinere longo ambulaverint: quia sicut mulier orans in ecclesia non velato capite, deturpat caput suum, iuxta apostoli f vocem, ita sacerdos sine operimento deturpat sacerdotium suum. Quod si temerè præsumpti contra statuta agere, communionem priverit, donec, qua statuta sunt, adimplere maturet.

¶ Hæc synodus a Zacharia Papa habita extat in bibliotheca Vaticana & Regensi.

C. IV. ¶ Extra domum sine proprio ornatusacerdotum non appareant.

Item Leo Papa IV. in synodo Romana, c. 12.

Sine g ornatu sacerdotali extra domos sacerdotum apparere non convenit, ne, ut aliquis secularium, impurias patiantur: sed ea solummodo, quæ per Patres constituta videntur, observet. Contrarius denique inventus, aut definat, aut canonicæ subjaceat disciplinæ.

C. V. ¶ Careant beneficiis ecclesiasticis, qui corrigi ab Episcopo contemnunt.

Item Innocentius Papa II. in concilio Lateranensi h, cap. 4.

P ræcipimus i, uttam Episcopi, quam clericis in stamentis, in habitu corporis, Deo & hominibus placere studeant, & nec in superfluitate, scissura i, aut colore vestium, nec in tonsura intuentium (quorum forma h exemplum esse debent) offendant aspectum, sed potius quod eorum deceat sanctitatem, præ se ferant: quod i moniti ab Episcopis emendare noluerint, ecclesiasticis careant beneficiis.

¶ Hoc capitulum editum est ab Innocentio II. in concilio Lateranensi deinde ab Eugenio III. in concilio Romano est innovatum.

¶ Scissura] Hæc vox non est in concilio Innocentii, in synodo autem Eugenio in Exemplari Gallico legitur scissura. In Vaticano autem, scissuræ: & in nonnullis Gratiani vetustis exemplariis scissuræ.

a ἱερατικῶν. b In reg. becc. c. 49. c al. summatum. d Math. 11. e a Poes. d. 2. id est segregetur. f 1. Cor. 11. g Anst. l. 7. cap. 167. Ivo p. 13. cap. 5. h Et conc. Eugenio III. c. 1. i Pamm. l. 1. c. 190.

